

§. XV.

Cum sic planissimè pariter ac plenissime, de primo, prioritatis re-
quisito videatur constare: simili modo & connexio, ex iisdem relatorū
diduci poterit cancellis. Prima fere & primaria Relationis proprietates,
reciproca $\chi\acute{\epsilon}\pi\iota\varsigma$ est vel connexio. Quæcunqve enim relata sunt,
mutua in semet ipsa & reciproca converti replicatione possunt.
Quod si itaqve hæc connexio, necessaria in relatis finitis, proprietates,
imo non ultima perfectio sit; quanto hæc Trinitati SS. conveni-
entior, quanto in divinis Relatis eminentior erit; Cæterum, tam-
etsi ipsa generalis connexio, in relatis finitis perfectionem innuat; ad
strictiorem tamen causalitatis influxū determinata, aliquid admixtæ
imperfectio acquirat. Ideoque ut omni omnimode nævo amo-
to, modo perfectissimo, hæc de Deo concipiatur perfectio; causalem
omnem connexionem, sicut in §. antecedentibus, talem prioritatem,
omninò proscribimus. Quippe, si hæc in Gloriosa admitteretur Tri-
ade, illa, uti in prioribus jam prænotavimus thesibus, repudiato peni-
tens principio, causæ notionē firmissime inferret. Unde illud deinceps
pulluraret $\alpha\ \theta\epsilon\acute{o}\ \lambda\omicron\gamma\omicron\nu$: Ut suò Pater causatò, naturâ non minus
quam dignitate prior; eodem & potentior & eminentior esset; vid.
Magni Theosophiæ oraculi, Excell. Gerbard. *Disput. Theol. X. § 43.*

§. XVI.

Quapropter, ut in Trinitate summa nec non simplicissima,
supereminentem & perfectissimam, debite exprimamus $\iota\sigma\sigma\upsilon\rho\omicron\phi\eta\nu$;
essentialem illam ipsam, cum Excell. *Graüero* dicimus: ex *Quest.*
Illustr. Diss. II. Quest. II. § 18. Hæc enim cum nulla perfectior, nulla
DEO esse potest convenientior. Æqualis hæc essentiæ communitio,
arctissimæ communicationis respicit $\omega\epsilon\iota\chi\acute{\omega}\rho\eta\sigma\iota\nu$; Qua
Pater, vitam habens in se ipso, Filio, habere vitam dedit in
se ipso. Qua dedit, & retinuit: Id quod maxime relatis in-
finitis præ finitis, sine ullo contradictorio est proprium. Tota enim
substantialis, infinita est relatio; Tota divina essentia, in tribus
Trinitatis SS. personis est numerice una; Pater enim Filiū $\iota\mu\omicron\theta\acute{\iota}\omicron\nu$,
non extra, ut hinc à Patre, numericâ diversus esset essentiâ, sed intra
unam genuit essentiam. Quapropter nunquam à Patre separatur, sed
una cum Spiritu S. in ejusdem semper sinu residet: teste *Job. I. v. 18.*
Nec Filius saltem in Patre, sed & Pater & Spiritus, remanent in
Filio,